



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Roma Sancta sive Benedicti XIII. Pontificis Maximi &
Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E.
Cardinalium Viva Virtutum Imago Æri & literis in
perennaturam Virtutum memoriam incisa**

Conlin, Johann Rudolph

Augustæ Vindelicorum, Anno MDCCXXVI

VD18 10209328

No. LI. Joannes Baptista Salernus E Societate Jesu Consentinus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72633)

JOANNES BAPTISTA SALERNUS E SOCIETATE JESU CONSENTINUS.



Joannes Baptista è Soc. JESU tit. S. Priscæ Cardinalis Salernus Consentinus natus est ann. 1670. die 24. Junii ex Urbe Consentinâ. Consentia Calabriae Urbs est ad Cratis ripas condita. Brutiorum olim caput fuerat. Ea Brutiorum regio inde nobilitatur, quod in bello, quod Romanis Pompeii Magni temporibus cum servis enascebatur, insignis victoria in eo Italiae angulo à Lucio Crasso referretur; cum enim Spartacus Trax Romanum mancipium, cum amplius LXX. gladiatoribus Capuâ ex ludo elapsus fuisset, magnis copiis contractis, mirificos populo Romano ludos & clades reddebat. Ad extremum cum de invadenda Româ cogitaret, in hunc Italiae angulum cum LX. millibus armatorum compulsus, cum fugam in Siciliam frustra tentasset, tandem eruptione facta, dignam viro mortem obiit: tunc quidem Lucius Crassus eum Isthmum muro & fossâ sepierat, ne quis elaberetur. Annibal quoque in extremum hunc Agri Brutii angulum compulsus, nihil jam magis precatus est Deos, quam incolumi cedere atque abire ex hostium terra liceret. His nobilitata victoriis olim Consentia fuerat. Sed alios nec minus illustres Romæ triumphos dedit Joannes Baptista Salernus S. J. Homo Consentinus. Hostes erant Heteroclytæ Sectæ, quas ex animis hominum expuncum ibat. Gloriæ campum nanciscebatur in Saxoniâ, ubi suæ defixit trophæa victoriæ. Nobilibus præda obtigit Wittegindi progenies, quam Sapientiâ suâ in casses allexit, cui tamen victoriæ instar erat, ita captam fuisse. Et novus iste Christianus Hercules statim in cunis apparuit, & angues elisit; nam cum ab incunabulis virtutes imbibisset, cane pejus & angue vitia exécrabatur; ita ut eo vitæ tenore in oculis Consentinorum pretiosus evaderet; & cum cuncti ex istis scintillis aliquando plenè exastuantes flammæ expectarent, de Joanne Baptista Salerno Evangelicum illud occinebant: Quis putas, puer iste erit? Factus est, ut Magnus evaderet, Jesu Discipulus; probè gnarus, in eâ Societate sibi campum aperiri, ubi victoriæ signa adversus Orcum facillè explicare posset, animas reportaturus, qui præclaris his Viris unicus scopus præfixus & meta rerum. Cum hi JESU milites tot provincias numerent, quò Sacras suas curas extendunt, videlicet V. in Italiâ, Romanam, Siculam, Neapolitanam, Mediolanensem & Venetam. X. in Germaniâ, quas dicunt Germaniæ Superioris, Rheni inferioris & Superioris, Austriacam, Bohemicam, Flandro-Belgicam, Gallo-Belgicam, Polonicam, Littuanensem & Anglicam. V. in Galliâ, Gallicam propriè dictam, Aquitanicam, Lugdunensem, & Tholosanam. X. in Hispaniâ Toletanam, Castellanam, Arragoniam, Baticam, Sardoam, Peruanam, Neo-Hispanicam, Mexicanam, Insularum Philippinatum, Paraguaicam, Chiliensem. VI. in Lusitaniâ, Lusitanam, Goanam, Malabaricam, Japonicam, Brasiliensem, & Senensem: cum inquam Hi JESU milites tot provincias numerent, immortalis nominis sui gloriâ id consecuti sunt, ut cum multas ex his provincias Christo noviter pepererint, reliquas Sanctissimis legibus instituant, vitia eradicent, ignorantiae tenebras dispellant, rudi Sæculo & penè informi restaurato, multò planè gloriosiores existant, quàm Romani Scipiones Cæsares, & Pompeii fuere, qui per Europam, Asiam, & Africam (Americam nec nomine tenus noverant) victoriæ arma circumtulērunt. Mediò abhinc Sæculo 1765. Religiosi Viri (intèrque eos 7870. Præsbyterio insigniti) in Hac Sacrà Familiâ reperiebantur, qui ab ortu ad occasum benefici Solis instar orbem percurrerunt, & illustrarunt,

runt Univerſum. Enimverò eſt, cur in tribus eodem tempore Purpuratis Principibus glorioſus ordo triumphet, quòd manifefto indicio eſt, quod eximii Viri neutiquam deſint, qui in Gloriæ Solio collocentur. Hic Joannem Baptiſtam Salernum deſcribendum ſumimus. Poſtquam in ex ſuo Italiæ Angulo (Brutios intelligo) Romam deveniſſet, Vir Solidæ Sapientiæ & profundæ doctrinæ, & agendi modum ſuaviſſimum poſſidens, Romanis ſeſe ſum̄operè com̄endabat, & quando in Sacro Collegio Romano, cui Rector præerat, verſabatur, ſemper talis viſus eſt eſſe, qui ſi ad publica Chriſtianiæ Reipublicæ negotia traduceretur, appoſitâ illa hominum animos tractandi arte, magnum aliquid præſtiturus eſſet. Ergo ex mandato Pontificis ad Electoralem Saxonie Principem ibat, ejus in Catholicâ fide futurus inſtitutor, & toto illo tempore, quò Regius Princeps Italiam peragrabat, ejus lateri tam fidus comes adhærebat, ut huic novo Tobie, in peregrinis regionibus novam ſponſam (Eccleſiam intelligo) quærenti, Raphaelis inſtar eſſet, qui viam ſignaret, & facem præferret. Res ita ſe habebat. Clemens XI. Sapientiſſimus orbis Antifites, cum probè intelligeret, magnas illas ſpes, quas olim S. Mater Eccleſia in Friderici Auguſti Electoris Saxonie ad eam reverſione collocaverat, haud ſatis explendas, niſi Electoralis Princeps ad eadem Sacra unâ traduceretur, nullas propterea paſtoralis ſollicitudinis partes, nullumque officiorum genus prætermiſerat, quo Regium Auguſti animum eo inſecteret, ut Orthodoxæ fidei principiis filium imbuendum curaret; ſed iis conatibus impediendis multa intervenerant. Hinc occurſabant Polonie res turbulentiffimæ, inde Princeps mater & avia ut plurimum obluſtabantur, ne à com̄unione & complexibus ſuis juvenis Princeps abſtraheretur; neque tamén Pontifex, divino fretus præſidio, ſpem perficiendi rem unquam abiiciebat, auſ ullis difficultatibus depulſus ab incoepto deſiſtebat. Unde ann. 1709. Annibalem Nepotem ſuum in Germaniam legabat, cui inter præcipua & potiora mandata hujusce negotii perficiendi Provinciam impoſuerat. Ei tam feliciter negotiatio cedebat, ut Rex in ſuis ad Clementem literis polliceretur, ſe Principi Filio inſtitutores & familiares Orthodoxos daturum, & quamprimùm ad peragrandas Catholicas provincias dimiſſurum, ut à Sectariorum com̄unione & conſuetudine procul abeſſet. Statim Rex fidem ſuam liberaverat. Regius Princeps Bononiam mittebatur, & ibi à Joanne Baptiſta Salerno Soc. Jeſu, qui neceſſariis ad id facultatibus à Clemente XI. inſtructus erat, Catholicæ fidei principia luculenter hauriebat. Quàm ſedulam operam Salernus in graviffimo eo negotio adhibuerit, inde conici poteſt, quòd Clemens XI. in Secretario Conſiſtorio habito die 11. Oct. ann. 1717. ad præſentes S. R. E. Cardinales publicè conſeſtatus fuerit, quòd ejus fidem, Studium, ſedulitatem & prudentiam, *aa in re ſantiſſimè gerenda ſatis commendare non poſſit.* Ergo à Joanne Baptiſta Salerno viam veritatis ſatis edoctus Regius Princeps, denique poſt maturam ac diuturnam plurium menſium deliberationem, æternæ ſalutis ſuæ deſiderio incenſus, in manus dicti Joannis Baptiſtæ Salerni, præſentibus S. R. E. Cardinali Caſono, Apoſtolicæ Sedis Bononie Legato, aliisque ann. 1712. die 27. Nov. Sectæ Lutheranæ, in quâ natus erat, errores abjuraverat. Ceterùm humanæ rationes interveniebant, quæ prohibuerunt, ne per integrum ferè quinquenniū glorioſiffimi facti notitia evulgaretur. Interea tamen ſincere, etſi occultè, Princeps Catholicam Religionem profitebatur; nam non ſolùm à profanis patriæ ſuæ ritibus proſus abſtinebat, ſed etiam Sacroſancto Miſſæ ſacrificio quotidie intererat, Sacramentum Pœnitentiæ & Euchariftiæ crebrò percipiebat, aliâque veræ pietatis & Religionis documenta dederat. Sæpè etiam ad Sanctiſſimum Patrem teſtes literas dabat, ſe graviffimè ferre impoſitam Religionis occultandæ neceſſitatem, nec ſibi gratius quidquam futurum, quàm ut ad urbem Romanam accedere daretur, & coram publicè edere Romanæ Com̄unionis teſtimonia. Litera prima dabatur Florentiæ die 14. Apr. 1713. Secunda die 30. Oct. ejusdem anni. Tertia Pariſiis die 24. Sept. ann. 1714. Quarta Venetiis die 2. Maij 1716. Quinta ibidem die 5. Maij 1717. Toto illo itinere Florentiam, Pariſios, & Venetias &c. &c. Salernus Prin-

cipem comitabatur, ab eo Patris loco cultus & æstimatus; Tam suavi modo mite Christi jugum docilissimo Principi insinuabat. Tandem ann. 1717. à Patre Rege Catholicus Princeps potestatem aliquando obtinuerat, ut Catholicam Religionem, quam per quinque annos occultè coluerat, palam profiteretur. Statim Princeps ex oppido S. Pelden in Austriæ finibus Cursores ad Pontificem destinabat, ut res in Urbe Romana, veræ Religionis Arce, promulgaretur; quam etiam eodem tempore Viennæ in Austriâ promulgari curaverat. Sic Oriens & Occidens novum Sydus in Ecclesiâ ortum sibi gratulabantur, & unâ Joannis Baptistæ Salerni operam, quam grandem collocaverat, deprædicabant. Postea Sanctissimus Pater Clemens XI. in eam potissimum curam incubuit, eoque omnem operam conferebat, ut Potentissimi Principis affinitate obtenta felicitas stabiliretur. Hinc Joannem Baptistam Salernum, *cujus fidem, dexteritatem, & prudentiam* (verba erant mittentis Pontificis) *in Principe ad Christi Ecclesiam revocando expertus fuisset* ad Carolum VI. Romanorum Imperatorem ocysus allegabat, jussu, ut Pontificis nomine officiis, precibus ac Suasionibus instaret, ut ex duabus clar. mem. Josephi I. Romanorum Imperatoris filiabus alterutra Electorali Principi in matrimonium collocaretur; neque Salernus ea in re mandatis Pontificiis, aut zelo suo, aut negotii gravitati ulla ex parte defuit; neque Imperator pro eximio suo in rem Orthodoxam Studio omisit, ut Pontificiæ æquè petitioni, ac Poloniæ Regis votis satisfaceret. Hinc Mariam Josepham, Josephi I. Romanorum Imperatoris piissimæ memoriæ natu majorem filiam eidem Electorali Principi Saxonix nuptiis se collocaturum promiserat; prout etiam die 20. Aug. An. 1719. Auspicatæ eæ nuptiæ solemniter celebratæ fuere. Felix Maximæ hujus Rei negotiatio Salernum in oculis Austriæ æquè ac Saxonix pretiosum effecerat. Imperator Viennâ discedentem annulo remunerabatur, cui inclusus adamas ad tria Romanorum scutorum millia æstimabatur; nec minus Augustus in Poloniam Ann. 1720. venientem omnibus Regiæ benevolentix officiis profecutus est. Eo tempore Salernus in id operam suam sedulo impendebat, ut proceres ad concordiam animaret; nec averfabantur Poloni liberam hominis vocem, quam sciebant amanter editam, nec felle referam; sed suavi quadam comitate etiam ad audientium voluptatem conditam. Tam insignibus Salerni meritis Rex Augustus permotum se sentiebat, ut Sacræ Sedi pro Purpurâ eximio huic Viro conferendâ etiam atque etiam instaret: Nec Pontifex in se ullam moram passus est esse, quò minus tam meritum de Orthodoxa Ecclesia Virum, eo honestamento decoraret. Causam licet in propatulo esset, iterum iterumque sibi retexendam Sanctissimus Pater ducebat; hinc Joanne Baptistâ Salerno ad Cardinalatus honorem in Consistorio Secreto Ann. 1719. die 29. Nov. proposito, de eo laudabilia isthæc subjungebat. *Perspecta Vobis sunt, ac fusè aliàs à nobis ex hoc loco relata hujus Viri merita, quæ sibi maxima comparavit, tum in Electorali Saxonix Principe ad Ecclesiæ gremium revocando, tum in aliis feliciter peragendis, quæ magnas spes nostras de similiter futuris Catholicis Saxonix ditionis hæredibus validissime roborarunt. Reliquum nunc est, ut debitam ejus laboribus mercedem rependamus: quam quidem ut videtis, jalacriter paramus quavis alia majorem, quam nos ei retribuere possimus. Longè tamen illa minorem, quam ipse à bonorum Operum retributore Deo Optimo Maximo, cujus causam strenuè ac fideliter egit, merito poterit expectare. Post hæc Abbas Merceda Purpureum Biretum, Salerno destinatum, in Saxoniam afferebat. Inde Neopurpuratus Warsoviam ibat, ubi Pontificis Nuntius & Posnanus Episcopus venientem excipiebant. Die 2. Aprilis Augusta Regis Poloniæ manus Charissimo Vertici Sacrum Biretum in Basilicâ, Divo Joanni dedicatâ, imponebat. Quæ Sacri Bireti imposto à Lutheri temporibus Friderico Augusto omnium primò è Saxonix Ducibus obtigit. Hinc Saxonix unâ & Eminentissimo Purpurato Corona Gloriæ imponi visa. Felix itaque Consentia! quæ tantum Orthodoxo Orbi Virum dedisti. Ajunt, quod Consentes, sive Majorum Gentium Diis (quos & alii à Concordiâ consentientes nuncupant) tibi nomen imposuerint. Fuere illi ex Diis (ut Deas prætermittam) Numero sex. Jupiter, Neptunus, Apollo, Mars, Mercurius, & Vulcanus. Jovem dico Joannem Baptistam Salernum; sed non Tonantem illum, ast Ferretium, seu ferentem auxilium. Neptunum: qui Sacræ Reipublicæ Navem optime adgubernat. Apollinem: nam Sapientiæ Apex fundit oracula. Martem: qui bella gerit, sed Pro Superis. Mercurium, qui Mundo fausta de Conversione Principum annuntiat. Vulcanum: qui fulmina cudit; sed in Ecclesiæ hostes. Adde ego Eminentissimum Purpuratum Joannem Baptistam Salernum unâ Æsculapium esse, qui ex Scholâ Salernitanâ pro animorum vulneribus curandis, optima pharmaca Christiano orbi afferat.*